

potest; inquietum malum, plenum veneno mortifero.

Secundo, ut sciamus raro et considerate nobis loquendum esse, dum duo prius ostia nobis aperienda sunt, quam sermonem proferamus. Frater Egidius Minorita dicebat optandum homini ut collum gruis instar oblongum haberet; quo nimirum sermo per longos meatus, tardius ab ore proficisceretur, in vita, 23. aprilis. Sed natura satis providit linguæ, duplici eam includendo repagulo, quod qui facile nimis aperiunt, insipientiam suam produnt. Ad S. Antonium venit quidam vir maturus et religiosus, adducens duos fratres admodum loquaces, cui Antonius: *Mi pater, admodum facundos et bonos nactus es comites. Cui ille: Boni sunt quidem, sed habitatio eorum non habet januam; quicumque enim vult, intrat in stabulum, et solvit asinum*: indicans eos garrulos quidquid in buccam veniret, effutire, in vita S. Antonii.

Vidimus naturam, loquendi magistram, sat superque nos docentem loqui recte et prudenter. Superest ut ejus ductum in sermonibus nostris sedulo observemus. Zeno Zitticus puerum supra ætatem curiosius quædam ab eo indagantem, duxit ad speculum, jubens ut se in eo contempleretur, et num judicaret tali vultui convenire tales quæstiones. Ita et vos ad speculum, quoties verba seritis; et videte an sermones vestri conformes sint linguæ, a natura vobis data et tali modo fabricatæ. Sic enim spes est fore, ut in omni locutione cauti et circumspecti sitis; quod largiatur vobis optimus et sapientissimus linguæ fabricator Deus.

CONCIO V.

TEMPUS TACENDI, ET TEMPUS LOQUENDI.

I. Tace, quando nullum ex sermone fructum speras: loquere, cum fructum et emendationem speras. — II. Tace, quando arcana tibi credita sunt: loquere, cum Dei magnalia manifestanda sunt. — III. Tace, quando sermo tuus proximum lædet: loquere, quando sermo tuus ad ædificationem servit. — IV. Tace, quando beneficium in alterum contulisti: loquere, cum accepisti. — V. Tace in propria causa: loquere in aliena.

THEMA.

Apertum est os ejus et loquebatur recte. Marci VII.

Duæ potissimum litteræ sunt, in quibus pronuntiandis non pauci laborant, R scilicet et S. Quem defectum anatomici provenire sentiunt e nervis motivis, qui in lingua sunt: qui si longiores sint, impediunt litteram S. si breviores, litteram R; uti refert Vincentius Belluac. in spei-

culo, tom. I. libro XXVII. cap. LV. Duæ illæ litteræ magnopere desiderantur in loquela nostra: R ut sciamus loqui; S ut sciamus tacere. Videtur hoc defectu laborasse mutus in hodierno evangelio: neque enim ita mutus fuit, ut nihil omnino loqui posset; sed quia male et impeditè loquebatur, ut indicat vox Græca, hoc est, parum aut ægre loquens, et noster etiam textus, cum jam curatum asserit recte locutum, quasi prius loqueretur etiam, sed non recte. Duos illos linguæ defectus deprecatur regius vates, Psalm. CXL. cum ait: *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* Ostio, non muro petit custodiri labia sua; quia murus semper includit; ostium vero modo aperitur, modo clauditur. « Qui ergo ori suo, inquit D. Gregorius, VII. moral. cap. XVII. nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit; aperte docuit, quod et per disciplinam retineri lingua debeat, et ex necessitate laxari: quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat. » Similiter S. Chrysost. in Psal. CXL. « Nonnunquam, inquit silentium est loquela utilius, sicut loquela quoque silentio. Et ideo dicebat ille sapientissimus: Tempus tacendi, et tempus loquendi, Eccles. III. Si enim oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ; si autem perpetuo clausæ esse, non esset opus custodia. » Igitur ut et nos eum hodierno muto recte loqui, quantum licebit, addiscamus, videamus aliquot tempora, quibus loquendum aut tacendum sit.

I. Tace quando nullum ex sermone vel admonitione tua fructum speras. Ita monet Ecclesiasticus, cap. XXXIII. *Ubi auditus non est, non effundas sermonem*: quod Syri declarant hoc dicto: *Ne emittas canem, ubi non est venatio*, hoc est, ne quem corripias vel doceas, si non est spes profectus vel fructus. Quis enim sapiens venari velit in pagis aut urbibus, ubi nullæ degunt feræ? Quis seminare supra scopulos? Propterea: « Egrege Zeno, ut ait Laertius, in ejus vita, interroganti cuidam cur se unum omnium non corrigeret, respondit: Quia tibi non credo, subindicans sibi non esse spem illum, si corriperetur, fore meliorem. » Porro Syrus dictum sapientis verbum ita vertit: « In loco ubi bibitur vinum ne misceas sermonem. » Quem enim fructum emendationis speras a potatoribus vino calentibus? Hinc Moyses e monte Sinai descendens, et tumultum convivantium audiens, illico fregit tabulas legis, quam a temulentis sciebat non audiendam; neque etiam scelus admissum eis exprobravit aut punivit, priusquam sanæ menti eos restituisset, offerendo eis aquam ad bibendum e vituli cineribus; qua hausta contra eos gladium strinxit.

Exod. XXXII. Eadem prudentia correxit Abigail virum suum Nabal nondum cum in convivio cum suis potitaret, neque eo die quo adhuc vino æstuabat, sed sequente primum, quando crapulam edormierat, I. Reg. XXV. Quod isti cum ebriosis prudenter fecere, idem cum iracundis ætitanandum, cum et illi furore ebrii, adeoque extra se sint. Quemadmodum enim medici remedia non adhibent dum augeciscit febris, sed expectant dum remittat; similiter et: « Nutrices (ait Plutarchus) pueris cum in periculo versantur vel casus vel incendii, nihil illis asperum loquuntur: at deinde asperis verbis ac verberibus etiam illos accipiunt, ne iterum eodem recidant.

Loquere vicissim, quando a correptis emendationem aliquam speras. Ita monet idem Ecclesiasticus, cap. IV. *Ne retineas verbum in tempore salutis*, h. e. cum est spes salutis ejus quem corrigis, ut Jansenius et Dionysius exponunt. Stulte et inhumaniter ageret, qui frumenta, ex quibus divenditis plurimum lucri facere posset, perire in horreo suo sineret, donec in vermes conversa avolarent. Qui, cum bona admonitione lucrari proximum posset, obmutesceret, is et sibi et ipsi noceret, Deique maledictionem incurreret, juxta id Proverb. XI. § XXVI. « Qui abscondit frumenta maledicetur in populis. » Quod explicans D. Gregorius, III. p. past. admon. XXVI. « Frumenta, inquit, abscondere est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicetur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere poterat, pœnæ damnatur. » Delusit hac in re malignus hostis monachum quemdam sanctæ vitæ, Marinum nomine, ut scribit Petrus Damiani, in epist. XXI. ad Damian. lib. VI. « Transfiguravit enim se in angelum lucis, et quasi legem dictitando mandavit: Cave, inquit, quia, qui angelum Dei et aspiceret et alloqui meruisti, indignum est ut de cætero cum hominibus loquaris. Protinus ille tamquam mandatum divinitus accepisset, a fratrum se funditus colloquutione removit; seque sub rigida silentii constrinxit. Cui cum frater Romanus primo, deinde abbas monasterii, ut sibi loqueretur, vehementer insisterent, et ille responsum pressis labiis non mitteret; abbas fores cellulæ violenter irrumpens, dignis indiscretum fratrem verberibus castigavit, et sic ad reddendum sermonis officium compulsi. Cui mox admonendum subjunxit: Idcirco, inquit, antiquus adversarius honorum semper operum inimicus silentium tibi tentavit imponere: ut et tu fructum fraternæ ædificationis amitteres, et illi, qui a te sublevandi erant, tuæ consolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater, quia non malitia, sed ex simplicitate peccaverat, ad mentem quan-

tocius rediit; et contempta suggestione diaboli, admonitionibus pii patris humiliter acquievit. »

II. Tace quando arcana tibi credita sunt occultanda, ne proximo vel republicæ noceas, aut contra fidem datam pecces; hoc enim æquum et justum est, et commendatur a Raphaelæ, Tob. XII. dicente: *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Quia et necessarium, quando sub fide creditum. Notum est Plutarcho, lib. II. de fort. et virt. Rom. Alexandrum Magnum Hephæstioni, postquam matris epistolam ei legendam dedisset, os annulo obsignasse, ne quando proderet quæ legisset. Et merito, quia ut ait Ecclesiasticus, cap. XXVII. § XVII. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum*, ad votum scilicet et desiderium suum. Nemo enim cordatus volet habere amicum, quem aliquando expertus est infidum. Unde S. Augustinus, vel quisquis est auctor libri de amicitia, cap. XIII. ait: « Secretorum revelatione inter amicos nihil turpius, nihil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos, sed omnia replens amaritudine indignationis et odii, atque doloris felle cuncta aspergens, etc. » Viderunt hanc turpitudinem etiam gentiles, e quibus Isoerates ad Dominicum scribit: *Diligentius tuenda sunt deposita verborum, quam pecuniarum*: et Periander: *Sermones arcanos ne afferas.* Quinetiam non pauci mori et exercuari maluerunt, quam arcana apud se deposita pro palare. Hyperiden narrat Plutarchus, de vita rhet. et Hyper. ne arcana patriæ evantaret, dentibus sibi linguam in tormentis amputasse, Zenonem Cleanthem non solum sibi amputasse, sed et in tyrannum expuisse, refert Cæsar. Rhodigin. Idem fecisse Anaxarchum philosophum, postquam a tyranno in pila saxeæ ferreis malleis contusus fuit: auctor est Laertius et alii. Denique, Ægyptii, ut scribit Diodorus Siculus, libro II. cap. linguam abscindi jubebant illi, qui secreta revelasset, Romani autem hujusmodi hominem aut vivum comburendum, aut in furcam suspendendum judicant. Ita Paulus, c. i. si quis ff. de pœna. Quod si hoc gentilibus adeo persuasum, adeoque sanctum fuit, multo magis esse Christianis debet, qui vocantur fideles, quod fide erga Deum et homines nihil antiquius habeant.

Loquere vicissim, quando Dei arcana tibi credita revelanda sunt: uti monuit idem archangelus cum adjecit: *Opera autem Dei revelare honorificum*, quando scilicet auditores sunt dociles et capaces divinarum mysteriorum; nam alioquin scimus præceptum esse a Domino, ne margaritas mittamus ante porcos. De cætero: « Cum Dei opera revelare et confiteri honorificum esse Raphael archangelus doceat, profecto celare vel

silere opera Christi, periculosum est; » ait S. Severus episc. Minoricensis, in ep. de Jud. convers. Idem monet S. Petrus, in ep. I. cap. II. verbis illis: *Ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Quibus verbis alludit ad Hebræos, qui ad singula beneficia divinitus accepta, singula statuerunt monumenta, ut eorum posteris et toti mundo Dei magnalia innotescerent, et quidem ipsius jussu vel instinctu. Modo enim erexerunt altaria in loco acceptæ gratiæ, uti Abraham; Genes. X. Jacob, Gen. XXVIII. modo agnum paschalem in memoriam servatorum sibi primogenitorum, Exod. XII. modo celebrarunt festum pentecostes in recordationem legis datæ, Exod. XIX. et XXIV. modo festum tubarum ob liberationem Isaac a gladio parentis, Genes. XXII. Conservarunt urnam manna plenam ob manna sibi cœlitus missum, Exod. XVI. celebrarunt festum scenopægiæ seu tabernaculorum ob memoriam peregrinationis suæ per quadraginta annos in solitudine; erexerunt duodecim grandes lapides intra et extra alveum Jordanis ob beneficium siccatis annis, etc. Quæ omnia stimulant nos Christianos, ut non minori sed majori longe studio recordemur et deprædicemus Dei beneficia longe nobiliora, quæ et olim a Christo in nos collata sunt. et usque hodie conferuntur. Quod etiam intelligendum de exaltatione Ecclesiæ nostræ catholicæ. Ita enim hortatur suos S. Chrysostomus, orat. V. contra Judæos: « Moneo ut illos rumores augeamus, qui res nostras attollunt, magnasque videri faciunt: non autem, fratres, illa exaggeremus quæ toti sodalitati dedecus effundunt. Contra, si quid audierimus boni, apud omnes proferamus, si quid vero mali pravique, apud nos ipsos occultemus, idque ut tollamus, nihil non faciamus. » Certe dæmoniacus ille, a quo legionem dæmonum expulit Christus, ad unum Christi monitum abiit, et per universam Decapolim prædicavit quanta ipsi fecisset Deus, Marci V. Confundet iste nos in judicio, si taceamus Dei nostri magnalia, et beneficia nobis impensa, plane innumerabilia.

III. Tace quando sermo tuus proximum læsus est, quocumque tandem modo, sive scandalo, sive malo consilio, sive detractatione, etc. Docet hoc apostolus ad Ephes. V. § XXIX. scribens: *Omnis sermo malus (Græc. putris, corruptus) ex ore vestro non procedat.* Qui vero sermo putris et corruptus, nisi obscænus, amarulentus, dicax, qui proximo horrorem et nauseam conciliat, sicut putre pomum aut alius cibus putredine fœtens? Certe putrida illa poma, quæ non nisi favillam continent, natura condemnantur ad mare mortuum, ubi nemo mortalium habitat aut habitare potest, ut alibi non semel diximus: sic

omnino decet verba putrida procul remove ab auribus Christianorum, ne proximum inficiant atque offendant. Avis etiam, seu *justa* appellata, hunc a natura instinctum habet, ut sua defodiât excrementa, ne inveniri queant, quia mortales enecant, Ælian. I. IV. de animal. Sermo impurus dicax, detractorius quid nisi excrementum tale pestilens, quod et audientem inficit, et eum in quem dicitur, necat? Defodiatur igitur in peccatore, non prodeat in publicum. Ita præcipit Ecclesiasticus, cap. XIX. vers. X. *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, fides quoniam non te dirumpet.* Quem locum contra detractores adducens Sanctus Chrysostomus, homilia III. ad popul. « Quid est, inquit, commoriatur in te? Extingue ipsum, defodito, ne exire permittas, oblivioni trade. Sed maxime stude ne alios quidem dicentes tolerare: quod si quando susceperis, infodito, interime dictum: oblivioni trade, ut his qui non audierint similis fias, et cum multa pace et securitate præsentem transigas vitam. » Par ratio est de obscænis verbis et dicteriis, cum æque fœteant, noceantque. « Arebytas, inquit Ælianus, lib. XIV. variat. histor. cap. XIX. cum alias modestissimus fuit, tum etiam verborum obscænitatem assidue vitavit. Quum vero necessitas aliquando postulare absurdus aliquid dicere, non præfatus est, sed id tacuit, inscripsit autem in pariete, monstrans quod dicendum erat: neque ut diceret cogi potuit. » Est hoc, fateor, aliquid in gentili homine: verum, quando sermo impurus lædere aliquem potest, tum ne parieti quidem inscribendus, sed omnino tacendus et defodiendus est.

Loquere vicissim, quando sermo tuus ad ædificationem tendit: quemadmodum subdit mox loco cit. apostolus: *Sed si quis bonus (sermo) ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Proferatur videlicet: « Nam hac ratione, inquit in eum locum S. Chrysost. hom. XIV. Deus os tibi dedit ac linguam, ut et sibi gratiarum actionem persolvas, et proximum ædifices: » et mox: « Si quæ faciendæ sunt admoneris, multum illi (proximo) gratiæ contuleris; si instruxeris ut os habeat benedictionibus assuetum; si docueris ut nemini male loquatur, summopere ipsum erudieris, gratiamque præstiteris; si de compunctione, si de pietate, de elemosyna disserueris, omnia ista mentem ejus emollient, pro his omnibus gratiam se debere fatebitur. » Gravissime reprehenduntur in sacris litteris duo filii Judæ Her et Onan, quod in conjugii suis rem detestabilem fecerint, effundendo semen in terram ille, ut suæ libidini vacaret potius, quam ut semen et familiam patris sui propagaret: hic ne filium fratris Her occisi, non suo nomine appellandum

procrearet. Ille *nequam in conspectu Domini* vocatur, hic rem *detestabilem fecisse* dicitur; et propterea uterque a Deo in pœnam sceleris diro mortis genere necatus est, Gen. XIV. Videat porro is, qui cum a Deo acceperit talentum ad Dei gloriam amplificandam et salutem proximi procurandam retrahit verbum salutis ab ore suo et defodit in terram talenta sua, adeoque sinit labi et perire proximum, annon de simili scelere, negligentia et invidentia redargui possit a Deo, adeoque pœnam etiam gravissimam mereatur.

IV. Tace, quando in alterum beneficium aliquod contulisti, loquere e contra et prædica beneficium quod ab altero accepisti. Primum illud docet Christus in hod. evangelio, dum post colatum surdo et muto beneficium curationis: *Præcepit illis, ne cui dicerent: alterum ipse curatus et amici ejus, qui: Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.* In quæ verba Theophylactus scribit: « Docemur hoc loco, quod quando benefacturi sumus, ne plausus vel celebritates ex beneficiis quæramus; quum autem beneficia acceperimus, ut benefactores, licet ipsi recusent, laudemus et prædicemus. » Intellexit hoc etiam Seneca, qui lib. II. de beneficiis, cap. X. scribit: *Hæc beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam.* Doctores hujus legis dedit natura duos fontes in Bœotia juxta flumen Orchomenon; quorum alter memoriam, alter oblivionem inducit, Plin. lib. XXXI. cap. II. Memoriam ex illo fonte bibit junior Tobias quando reversus ad parentes recensuit beneficia sibi collata a comite Raphael: *Narravit enim parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem (Raphaelem) qui eum duxerat, Tobie XI.* Oblivionem ex altero bibit anus illa sanguinis profluvio pene exanimata, quæ, cum beneficio gemmæ inestimabilis ab Alphonso Aragonum rege sibi oblata sanata fuisset, gemmam retinuit, et de ea restituenda interpellata, sibi ne visam quidem fuisse dixit, non sine stomacho aulicorum, Alphonso vero subidente, et ex fonte oblivionis collati beneficii bibente, remque dissimulante, in Panor. lib. I. cap. LII.

V. Tace in propria causa, cum inique accusaris, contentus bona conscientia et Deo teste; nisi tuum silentium alteri noceat. Est hoc consilium christiano homine dignum: ferre potius injurias, quam cum jurgio et contentione eas depellere; quod in primis docuit exemplo suo Christus,

cum ad falsas accusationes in concilio nihil respondit. Docuit David, qui Psalmo XXXVIII. dixit: *Obmutui et humiliatus sum, et sicut a bonis, hoc est, contentus bona conscientia, despexi inimicorum accusationes, neque in eis depellendis laboravi.* « Siluit a bonis, inquit S. Ambros. in eum Psalmum, quia bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui judex: ideoque justus dicit: Quis contradicat aut resistat mihi? Et apostolus Paulus dicit: Mihi enim pro minimo est ut a vobis dijudicer aut ab humano die. Adversus calumniantes et peccatores justo suo judicio contentus est, meritorum autem suorum judicium Christo reservat, ideoque addit: Qui dijudicat me Dominus est. Ad omnia igitur utile silentium. » Sic ille. Iisdem verbis se defendit S. Paula, ea decantando, si quando procacior fuisset inimicus, et usque ad verbum jurgia prosiliisset, ut scribit S. Hieron. epist. XXVII. Melius se silentio quam responso defendit Christus coram Pilato: cum enim ad tam importunas accusationes nihil responsi dedisset, quæsivit is rationem dimittendi eum, Matthæi XXVII. adeoque plus valuit apud Pilatum Christi tam altum et stupendum silentium, quam totius populi accusatio. Unde S. Athanas. serm. de pass. et cruce ait: « Tacendo et non respondendo tam efficax erat in persuadendo, ut judex ultro factiones conspirationis adversus eum initas, et agnosceret et confiteretur. » Neque vero solius Salvatoris silentium tam potens ad sui defensionem fuit, sed etiam castissimæ illius Susannæ, quæ cum iniquissime delata raperetur ad mortem, nihil pro se respondit, et tamen: *Exaudivit Dominus vocem ejus, sola conscientia clamantem: « Est enim magnum, inquit S. Ambrosius, I. offic. c. I. et negotiosum silentium, ut erat Susanna, quæ plus egit tacendo, quam si esset locuta: tacendo enim apud homines, locuta est Deo, nec ullum majus judicium quam silentium, conscientia loquebatur, nec quærebat pro se hominum judicium, quæ habebat Domini testimonium. »*

Vicissim loquere cum vides inique condemnari alios. Cujus rei præclarum præbuit exemplum Daniel, qui bis inique condemnatus et demissus ad leones, nihil prorsus pro defensione sua dixit, sola conscientia contentus, ideoque a Deo defensus. At cum innocentem Susannam duci ad mortem vidit, minime tacuit, sed palam exclamavit voce magna: *Mundus ego sum a sanguine hujus; eamque a supplicio eripuit, Danielis XIII.*